



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig
Salisburgi, 1693

Tit. 11. De Plus petitionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

& interim Judex secularis in causa principali superledebit, *c. tuam. 3. b. t.* Porro speciale privilegium habet is, qui ab alio bonis suis spoliatus est, ita ut, si a spoliatore super alia causa conveniatur, & ipse excipiat de spolio sibi facto, causa spoliij primitus tractanda sit: quia spoliatus ante omnia est restituendus, nec tenetur prius in alia causa respondere spoliatori, sicut hac de re infr. in Tit. de Restitutione spoliatorum pluribus dicitur.

TITULUS XI.

De Plus Petitionibus.

SUMMARIUM.

1. Plus debito petens in judicio punitur.
2. Quatuor modi plus petendi, re, tempore, loco, causa.
3. Poena plus petentium quae?
4. Cessat hac poena, si probatum fuerit, non malitiosè plus petitum esse.

Inter incidentes quaestiones quandoque movetur, quòd actor plus petat, quam sibi debeat, id cum iniquum sit, impune non permittendum; qualiter verò hæc actio iniqua actoris puniatur, *h. z.* tractatur.

2 Dicitur actor plus petere quatuor modis, scilicet *re, loco, tempore, vel causa.*

Re plus petitur, si cum actori debeantur 10. petat 20. vel cum res sit ejus tantum pro dimidia parte, petat totam. *Tempore* plus petitur, qui petit ante diem, vel existentem conditionem pactioni seu obligationi adjectam. *Loco* plus petit, qui rem in alio loco petit, quam ubi conventum est, ut solvatur. *Causa* denique plus petitur, cum aliquid in genere vel alternativè debetur, & res in specie, vel unum præcisè petitur, prout fufius explicant Interp. ad §. si quis agens. 33. v. plus autem. *Instit. de Action.*

Pœna plus petentis est, ut si *re*, vel *causa* plus petatur, condemnatur in expensis quas Reus in illo judicio facit: imò si *causa* plus petatur, Reus omninò ab instanti absolvitur, & actor debet novam actionem secundum naturam obligationis instituere, quia ex priorè actione Reus non est obligatus. Quod si *loco* plus petatur, proceditur quidem ad sententiam, sed actor condemnatur in id, quod interest Reus debito loco non fuisse petitam. Si *tempore* plus petatur, Actor condemnatur in expensas, & Reo duplicantur induta solvendum, ita ut si e. g. prius fuisse petitum plus petatur, jam non tenetur nisi post biennium. Videatur etiam quæ ibi notat Panorm. in *c. ubi. b. t.* Notandum est, quòd hæc pœna locum habeant, si actor probavit, se non male, sed julto errore ductum plus petisse, si quis totum legatum petierit, & ei facta proferatur alia testatoris scriptura. Codicillus legatario planè incognitus, quo dimidia pars legati ei adempta & data est: Nam error facti præter actionem, cum prudentissimos & quosque fallere possit. §. si quis agens. *Instit. de Act.* Et in *l. i. in fin. Cod. de avaritiam* id fecisse.

TITULUS XII.
De Causa possessionis
proprietas.

SUMMARIUM.

1. Quid sit causa possessionis & proprietatis.
2. Causa possessionis datur etiam in incorporatis, quibus datur quasi possessio.
3. Judicium possessorium aliud est ordinarium, summarium, summarissimum, seu tuncum.